

www.e-rara.ch

Meletematum de officio doctoris christiani, partis primae continuatio

Frey, Johann Ludwig

Basileae, [1711?]

Universitätsbibliothek Basel

Shelf Mark: KiAr H III 27:25

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-81581>

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

~~262~~

MELETEMATUM
DE
OFFICIO DOCTO-
RIS CHRISTIANI
PARTIS PRIMÆ CONTINUATIO

Quam

Juvante Supremo Ecclesiæ
Doctore Christo

Fussu Venerandi Theologor. Ordinis

Vacante Cathedra Theolog.

publico Examinĩ subijcit

J. LUDOVICUS FREY

S. Theolog. Doct. & Minist. Eccles. Huning.

RESPONDENTE

Prestantissimo juvene

J. JACOBO WETSTENIO J.R.F.

*In diem 4. Septemb. 1711. horis suis
in Auditorio Theol. aservo.*



BASILEÆ, Typis Fride^{rici} Ludij, Acad. Typogr.



Idem binis Lectionibus, quarum prima ad
diem 8. altera ad 10. Septembr. horâ 10.
B. C. D. recitabitur, Veritatem Religio-
nis Christianæ ex Historia Conversionis
Paulinæ, prout à B. Luca in Actis Apost.
narratur, demonstrare conabitur.

✽ 23 ✽

14. Aliter sanè Scriptores sacri: hi maximam partem ex plebe, imò ex fœce plebis homines, sensa animi nudè, candidè & simpliciter edisserunt, omis-
sis omnibus illecebris sermonis, verborumque phale-
ris: dicunt, quod res est: Verba illorum id omne signi-
ficant, quod ex recepto usu significare possunt: non
fucum faciunt auditoribus aut lectoribus suis: non
seculari eloquentiâ animos permulcere student, sed
nudâ veritatis simplici que expositione ad fidei obse-
quium flectunt. Atque ob hanc ipsam causam
lecti fuere à Spiritu S. Apostoli præcones verbi
Evangelici, ut, dicente Paulo, ὁ λόγος ἡ κήρυγμα αὐτῶν
ἐκ ἐν πειθοῖς ἀνθρωπίνης σοφίας λόγοις, ἀλλ' ἐν ἀποδείξει πνεύματος
καὶ δυνάμεως, esset, atque ita ἡ πίστις ἡμῶν μὴ ἦ ἐν σοφίᾳ ἀν-
θρώπων ἀλλ' ἐν δυνάμει θεῶν. Vid. integrum locum 1. Cor.
2. vers. 1. 4. 5.

15. Quin nec ipsos adversarios, contra quos
tantum illius usum deprædicant, regulam ita ex-
plicatam respuituros existimem. Fieri equidem fa-
cile potest (idque revera usu venisse nullus dubito)
ut in applicatione ejus identidem erraverint, easq;
dederint locorum Script. interpretationes, quæ cum
istâ regula stare nequeant: quod idem & nostris su-
binde contigisse & contingere nemo ingenuus nega-
verit: Ut autem ipsam ita explicatam rejecerint Re-
gulam, equidem ab animo meo impetrare nequeo ut
credam. Nimis sane illa Evidentiæ, nimis certitudi-
nis est, quàm ut disertis verbis in dubium vocari
possit: &, quod potissimum, ipsi per omnia similes
in scriptis suis regulas ad Scripturæ explicationem
tradunt. Ipsa illa adversariorum vox, quam ut tam
noxiam Duisburgenses abominantur, quamque ex

Ecclesia imò ex mundo eliminandam censent: Hæc per verba scripturæ quidem posse significari, sed non constare, nisi aliunde probetur actu significari: Ipsa, inquam, hæc vox, si modo eadem æquitate erga illos utamur, quâ illos erga nos uti volumus, benignam explicationem admittit, & vel idem cum illa Regula dicit, vel saltem illi non repugnat. Quidni enim in hanc mentem vocem hanc intelligamus? Verba Scripturæ hoc illudve possent omne significare, seorsim atq; extra seriem textus posita &c. sed non constat, nisi aliunde probetur id actu significare; id est, non constat, omnes significationes vocabulorum, quæ in variis aliis locis diversæ occurrunt, hic simul sumendas, nisi id vel ex contextu vel aliunde probetur. Hæc quam parum differunt ab illa Viror. Doct. suæ Regulæ expositione? Verum nolo ego nunc adversariorum ulterius agere causam.

16. Id solum sibi dici patiantur Viri Fratres, si vel levissima à Regulâ hac aberratio sufficit, ut quis dici possit illam negare, ne ipsos quidem Viros doctos ab illa culpa immunes fore. Quot enim hodie obtruduntur novæ Scripturæ explicationes, ope hujus regulæ inventæ, in quibus illarum Auctores mirè sibi placent, quæ ad illam Regulam exactæ, non omnibus, non præcipuis ejus membris respondent? Quod vel solum ansam præbere posset cogitandi, vel hanc regulam non esse tantæ utilitatis, quum tam violentas, adde & ridiculas subinde pariat commentationes, vel alium adhuc ei subesse sensum, nondum in satis claram lucem protractum. Ne præter Rationem hæc omnia confingere videar, lubet unicuique Exemplum adjicere.

17. Deuter. 29. v. 19. extat locus satis obscurus

rus, abque Interpretibus varie habitus. *Et erit, cum audiverit* (homo ille profanus, de quo in anteced.) *verba adjurationis hujus, ut benedicat sibi cum animo suo, dicendo, pax erit mihi, cum ex sententia animi mei ambulabo* למען ספוט הרוה את הצמאה *ad addendum ebriam seu irriguam sitienti.* Hæc postrema Verba ita exponit Celeb. Script. Interpres, hujus Regulæ vel Author vel Restaurator, ut innui putet duplicem Ecclesiæ statum, *sitim* sub V. T. *irrigationem* sub N. ut adeò irriguam addere sitienti, tantundem sit, ac Ecclesiam Promissionis exhibitione satiatam, redigere in ordinem Ecclesiæ sitientis, id est, Ecclesiam N. T. onerare Cerimoniis V. T. Cumque plena vocum Emphasis ei nondum videretur exhausta, jungit aliam explicationem ex diversa vocis ספוט & particulæ את significatione sumtam, *perdere satiatam cum sitiente*: id est, operam dare, ut fœderati Dei aboleantur, primò dum expectant salutem Dei, deinde cum Evangelium salutis receperint. Cum verò ne hoc quidem magnifico Verborum sono satisfacere ei videretur, non dubitat duabus interpretationibus addere tertiam, hoc sensu: *ut satura perdat sitientem*: id est, ut ii, qui falso sibi saturi videntur in tempore expectationis sitientes opprimant, deinde saturatos vexaturi. Hæc ita juncta in unum, ei demum integrum verborum sensum absolvere videntur.

18. Si tales procudat Regula Interpretationes, mirumne cuiquam videatur, illam sibilis ab aliis fuisse exceptam? At quomodo conditionibus à Duisburgensibus allatis hæc respondent? Nolo multum temporis, verborumque in illâ refutandâ

aut verâ indagandâ insumere, Lectorem amandans ad Celeb. *Witsii Oecon. Lib. 4. C. 13.* & Animad. Doct. *De Dieu* in hunc locum. Sequentia tantum observo. 1. Si suffragium scopi & ordinis, consensus antecedentium & consequentium &c. ut Duisburgenses volunt, requiritur, fatendum sanè, hanc interpretationem horum suffragium non ferre, nec enim hic agitur de discrimine V. & N. T. nec de jugo servitutis Mosaicæ, multo minus de hominibus N. T. magnam sanctimoniam præ se speciem ferentibus, jugumque cerimoniarum cervicibus fidelium N. T. imponere molientibus. Verum describitur homo profanus, Idololatra, qui fœderis divini adjurationibus insuper habitis, sibi adhuc gratulatur, pacemque securus expectat, etiam si *בשרעות רבו* in malitia cordis sui ambulet. Quid huic commune cum illis? 2. Si conformanda est Interpretatio indoli & genio Linguae, styloque scriptoribus usitato, quis non videt, huic conditioni nequaquam satisfieri? Quamvis enim facile concedatur, *ספוט רב* & perdere & jungere significare, ac particulam *את* modò pro nota accusativi casûs, modò pro conjunctione *ו* usurpari; ut tamen hæc in unum jungantur, eidemque voci contrariæ aut saltem disparatæ significationes in uno eodemque loco attribuantur, adeò genio Linguae S. & usitato Auctorum S. stylo repugnat, ut Reformati Theologi talem Canonem condere veriti haud sint: *unius loci unicus est sensus literalis*. 3. Denique, cum Theologi isti Regulam de Verbis ipsius Dei intelligant, qui nunc illa applicatur verbis hominis profani? aut, si forte propter ambiguitatem constructionis, Dei hæc verba esse

esse velint, quî applicatur proverbiali dicto, quod sensu populari ac trito capiendum esse, nullo jure negari potest? Obtestor cujuslibet conscientiam, num hæc explicatio *simplicissima, planissima, atque ordini sermonis accommodatissima, talis denique sit, ut quis eam cum verbis Scripturæ conferens, non possit comminisci, quomodo ea res sapientius efferri debuerit?* quod ad genuinam Scripturæ Explicationem requiri docet alicubi Clariss. Theologus. Verum nimis diu huic Regulæ immoratus, Lectoris veniam mihi expeto. Concludo, illam suis limitibus restrictam & bene expositam non posse non admitti, si non ut certissimam totius Scripturæ referendæ clavem, saltem ut idoneum Instrumentum, quum nihil diversi à vulgari Theologorum methodo contineat.

CAPUT III.

De Interpretatione paulò fusius & Specialius agit.

Lubet his aliquammulta monita paulò specialiora, Interpreti Scripturæ S. observanda, subijcere. Non id equidem nunc agimus, ut omnes Grammaticorum Criticorumque circa Stylum S. Scripturæ Observationes, quibus nostra atas præ aliis summo jure per Virorum doctissimorum indefessam diligentiam gloriari potest, ad examen vocare, aut in medium proponere velimus. Consultantur, quæ seu integris hanc in rem scriptis, seu *ὡς ἐν παρόδῳ* aliis Libris interspersa, in lucem edidere Viri undique Eruditissimi, dum plenius quid

& accuratius circa *ἐκμυστα* Scripturæ S. quam hucusque habuimus, publico donet harum literarum aliquis egregie peritus. Paucis nos quasdam superius traditæ Regulæ partes explanare, exemplisque illustrare, adjectis nonnullis aliis monitis generalibus, constituimus: quæ si quis vulgaria & omnium ore trita dicet, nobis sane haud invitis faciet; qui non tam rara & insolita, quàm utilia, quantumvis obvia, sectari nos, lubentes profitemur.

I. 1. *Scripturam Theologus, quantum fieri potest, ex ipsa Scriptura exponat.* Nullus fere invenitur Scriptor, qui non peculiarem indolem & genium habeat, ab aliis haud parùm diversum. Quamvis enim omnes communi utantur ratione & oratione, magna tamen ubique ratiocinandi loquendique modorum diversitas deprehenditur, non modo inter diversæ ætatis & regionis homines, sed & inter coævos, concives &c. cujus rei rationem facillimè reddunt Philosophi. Major tamen longè observatur convenientia inter hos, quàm illos: & quo artiori temporis, regionis, educationis &c. vinculo alteri quis colligatur, eo major in illorum sermone plerumque est consensus. Cum itaque Scriptores S. peculiari quasi linguâ utantur, ab aliorum Scriptorum Stylo aliquatenus diversâ, quamvis Orientalium & in specie Judæorum Stylum ad illam propius accedere, in confesso sit, quis tamen ipsis melius mentem eorum nobis explicabit? Vel hinc patet, quantâ diligentia & constantia divinus iste liber accurato Interpreti volvendus, revolvendusque sit, quò sic indies ipsi fiat familiarior, scriptorumque Sacrorum notiones ejus animo diuturnâ consuetu-

fuetudine velut inprimantur. Quemadmodum enim quotidianus usus amici, parentis &c. nos illorum sermonis callentiores reddit, sic Scripturæ S. Liber nocturnâ diurnâque versatus manu, indies nobis maiorem clarioremque intelligentiæ lucem affundet.

2. Quamvis autem Scriptura S. variorum potius Librorum collectio, quam unicus Liber dici debeat, varique ejus Scriptores nec iisdem vixerint temporibus, nec per omnia simili usi fuerint dicendi ratione, id tamen dictis non obstat. Major longe hos inter Scriptores animadvertitur similitudo & consensus tum in verbis tum præcipue rebus, quàm inter hos aliosque extraneos. Satis magno temporis intervallo N. T. Scriptores à V. T. Scriptoribus remoti sunt: at itidem Judæi sunt, ut illi, illorum Lectioni assueti, illorum imitati Stylum. Ipsi V. T. Scriptores temporibus non admodum propinqui, Stylo tamen utuntur non admodum dissimili, quod ex collatione Styli v. g. Moïsi & Malachiae aut Nehemiae, Literarum Hebraicarum peritis fatiscit. Hæc etiam causa est, quod quorundam V. T. Librorum ætas, quorum Auctores latent, ex solo styli colore dignosci certo haud queat, ut in Romanis Græcisque Authoribus feliciter hoc à Viris Doctis subinde præstari constat. Nempe per ingentem Temporis tractum eadem Linguae Sanctæ facies, idem color mansit, Judæis intra Regionis suæ pomeria conclusis, aliarumque communio- nem gentium studio vitantibus; quod nulli aut paucis aliis contigit Linguis; ut jam omittam alias hujus rei rationes.

3. Opti-

3. Optimè itaque Scripturæ Explicatio ex ipsa Scriptura petitur. Hinc fit, ut haud rarò homines illiterati, aut qui aliàs Theologiæ se non in totum consecrant, melius Scripturam intelligant, expōnantque, quàm Theologi, totam ætatem in Sacris Literis consumentes. Illi enim, præjudiciis vacui, & nonnisi viam salutis in illâ investigantes, totos se hujus Libri Læctioni dedunt, huic uni insudant, hunc crebrò & attente evolvunt, hunc solum sequuntur ducem, aliorum Scriptorum Læctionem aut non tanti facientes, aut omninò negligentes. Quâ ratione hunc Librum sibi adeo reddunt familiarem, ejus notiones adeo altè animo imprimunt, ut quid cum Scripturæ genio conveniat, quid ab eo discrepet, si verbis non semper commodè queant exprimere, in seipsis quasi sentiant. Nimirum aliorum Scriptorum, quorum notiones satis à Scriptorum S. notionibus distant, Læctio illorum mentem non confundit: nihil illis admiscent alieni peregrinique: nudas purasque Scripturæ ideas, quantum quidem per verba fieri potest, hauriunt.

4. Videas è contrario magnos quandoque Viros, & omnivariâ scientiâ ornatos, mirè in Scripturis propterea cœcutire. Scripturam nostram non satis diligenter legunt: legunt autem innumeros alios Scriptores à nostris diversissimos: tum verò in animo horum nascitur mixtura idearum haud valde similium: applicantur notiones profanorum Auctorum notionibus Sacrorum: eadem apud hunc profanum & illum sacrum Scriptorem extans vox, phrasisve idem eis per omnia significat. Hinc sæpe, à cujus Scriptoris Læctione recens ad
Scriptu-

Scripturam accedit quis, aut quem præ aliis sibi reddidit familiarem, illius potissimum conceptus in Scriptura se videre arbitratur: quia nempe altius animo inhaerent, & ad primum vocis sonum intuitumve in mente oriuntur. Xenophontis, Demosthenis, Platonis &c. Scriptis innutritus, horum conceptus in Scriptura reperit. Cui Aristotelis Scholasticorumque volumina in deliciis sunt, pro-
 cudet sibi explicationes plane Peripateticas, ut satis mirari nequeas, quàm omnium Scholæ subtilitatum periti, quàm egregie in Dialectica, Metaphysica &c. exercitati jam fuerint Scriptores S. quos omnis sæcularis eruditionis rudes antea stolidè credideras. Nec novæ Philosophiæ Auctor Cartesius habet, quod infelicitatem suam queratur. Philosophiæ suæ peculiaria dogmata, quod per bis mille ferè & amplius annos stupida ignoravit mortalitas, jam in Divino nostro Libro contenta, imò ex illis hausta, oculatior deprehendit quorundam hodiernorum Sophorum solertia.

5. Eadem quotidie luditur fabula: nullum inventum tam recens, nulla scientia tam abstrusa, cu-
 jus non egregie peritos fuisse Mosen, Prophetas aut Apostolos, per nostrorum hominum ingenio-
 sam diligentiam, jam edocemur. Stultus ego hu-
 cusque credidi, Corpuscularem Atomicamque, quam vocant, Philosophiam, hodiernorum, nec immeritò, Sophorum delictum, Epicuro, aut De-
 mocrito aut simili Viro originem debere: jam verò non modo Mosen sed & Noachum, imò Antedi-
 luvianos Patres, hujus cognitione claruisse, idque ex Scriptura liquere, admirabundus audio. Chy-
 mia

miæ & Alchymiaë quis fuerit Author inter Veteres, nesciveram hactenus: Sacro certe Viro hujus inventionis aut propagationis gloriam transcribendam esse, ne suspicari quidem potuissem. Verùm tam crassum errorem nunc ademit Doctissimi cujusdam pariter & ingeniosissimi Hominis perspicacia: qui Noachum, ut Tubalcainum taceam, jam istarum artium peritissimum fuisse, vel hinc docet, tum, quod in Arca fecerit צהר id est, non, ut imperitè alii, *Fenestram*, sed *Splendorem quendam excimium cujusdam liquoris ignei sulphureique, quem vasculis è lapide speculari vel crystallo vel forte vitro paratis inclusit, & in singulis Arcae tabulatis suspendi jussit, animantium cellas omnes illuminaturum*; uno Verbo, Phosphorum: tum &, quod admirandam plane Essentiam conficere noverit, cujus aliquot guttæ non tantum foverent sed & alerent homines bestiasque, remotâ sic ingenti de Arcae Angustia, pabuli, excrementorumque copia &c. difficultate, citatoque loco *Gen. 6. 21.* Vid. hæc aliaque his gemina in *Edm. Dickinsoni Tractat. de Natur. Veritate Hexaemeri Mosaiici.*

6. Cum Scripturam ex ipsa Scriptura explicandam dicimus, id ita intellectum volumus, ut loca Scripturæ obscura dubiaque ex claris & certis, non autem vice versâ, exponantur. Hinc illa, quæ ex Scriptura S. & Ratione simul probantur, illa quæ apertis & nulli dubitationi obnoxiiis verbis sæpissimè inculcantur, & in quibus Christiani plerique consentiunt, norma sunt reliquorum, ut nihil tanquam genuinum Scripturæ S. effatum possit admitti, quod vel apertè vel per necessariam consequen-

quentiam illa evertit. Quod ipsum, nisi fallor, illam tantopere à Theologis laudatam fidei Analogiam constituit, quam ad Scripturæ Interpretationem adhibendam censent. Non enim eâ voce intelligitur hujus illiusve Sectæ opinio, hujus illiusve Theologi Systema, (Regula hæc esset Lesbia;) sed dogmatis cujusdam cum Articulo claro, certo, fundamentalis consensu. Sic cum & S. Pagina perspicuis verbis & Lumen Naturale necessariâ ratione evincant, Deum esse Sanctissimum, nihil magis ab ejus Natura abhorrere, quàm peccatum, hominem ei propterea abominabilem esse &c. nullum dogma aut Interpretatio Scripturæ S. admitti potest, labem aliquam peccati ei affricans, aut eum peccati Auctorem faciens: sique nonnulla Scripturæ verba eò ducere videantur, alius Verborum quærendus sensus, aut, si commodus non inveniatur, ignorantia ingenuè fatenda est.

7. II. *Nulla Interpretatio, evidentibus Notionibus aut Axiomatibus Rationis repugnans pro genuino Scripturæ sensu à Theologo admitti potest.* Cum enim Lumen Naturæ, æquè ac Revelationis, Deum Patrem Luminum Auctorem agnoscat, nihil à Deo Naturæ Lumini repugnans revelari censendum est, nisi Deum sibi ipsi adversari blasphemè statuere in animum inducamus. Imò ne ipsius quidem Revelationis Divinitas credi posset, si quidquam Rationis Lumini repugnans in illa inveniretur. Nam, ut fidem Revelationi ceu divinæ habeamus, de his constare debet: & Deum esse, & Deum hoc revelasse: utrumque autem usum certitudinemque rationis supponit. Finge enim per impossibile, Deum ali-

quid cognito Axiomati adversum revelare, v. g. unum idemque Corpus eodem tempore in pluribus à se invicem disiectis locis esse: hoc ne quidem credi potest. Ut enim hoc credas, requiruntur majores & evidentiores rationes, quibus hoc adstruatur, quàm quibus contrarium adstruitur. Si enim minores afferuntur, nunquam hoc, sed contrarium credit animus: si æquales duntaxat, non credit, sed in dubio est animus. Majores autem & evidentiores adduci nequeunt, cum contrarium evidentissimis nitatur, omnemque, quæ haberi potest, habeat claritatem, quâ majorem dari nonnisi stolidus affirmaverit. Hanc ob causam præter alias Reformati rejicimus sensum, quem vocant, literalem in verbis S. Cœnæ, & portentosa inde enata dogmata, quæ sane non fidem ingenerare aut confirmare, atque ad amorem Christi nos compellere, sed omnem fidem excutere, detestandumque in Religionem Pyrrhonismum inducere apta nata sunt.

8. Pauci equidem aut nulli fortè reperiuntur, disertis verbis affirmantes, propositionem evidenti rationi contrariam veram esse posse. Vident nimirum, nihil magis in fraudem alicujus doctrinæ dici posse, quam si illa statuatur *irrationalis*: ipsique, qui tam strenuè contra rationis usum clamant, quamdiu ipsis adversaria est, haud gravantur illius patrocinium implorare, cum à suis illam stare partibus putant: similes hac in re Israelitis, Jephtham tanquam filium uxoris exteræ superbè expellentibus, ortâ verò calamitate repetentibus, & blandè ad se invitantibus: quibus certe idem, quod Jephtha olim Israelitis, ratio regerere posset: *Nonne vos*
edi-

odistis me & expulistis me à domo Patris mei, cur ergo venitis ad me nunc, quum angustia est vobis? Jud. 11. 7. At tùm ad ridiculas distinctiones, tanquam asylum confugiunt; modò asserentes, dogma non repugnare rationi, sed videri tantùm repugnare: quod si intelligunt, illud etiamnum ita videri post sollicitum & accuratum rei examen, non vident se nihil dicere? modo statuentes, pugnare id quidem cum ratione hominis, at non cum ratione Dei, ut nuper personatus Manichæorum Patronus, Vir alias longè doctissimus, qui proposito sane haud optimo multis evincere annisus est, suppeditare Rationem invicta arma atque insolubilia argumenta contra Providentiam Bonitatemque Dei, quibus non modò ingentes difficultates in animo inquirentium circa hæc attributa excitentur, sed & clarè demonstratur, Deum non esse bonum &c. addens deinde, quæ est Viri pietas, illud tamen propter Scripturæ S. effata humili fidei obsequio recipiendum: quasi Scripturæ Authoritas amplius agnosci possit, si semel invictis argumentis Dei bonitas & providentia impeti queat. Sunt & alia *ἡρωικὰ*, ad quæ subinde Rationis inimici recurrere solent, quibus refutandis nunc immorari haud licet. Illud tantum addo; dictum illud Tertulliani in *Lib. de Carne Christi*. *Non pudet, quia pudendum est, prorsum credibile est, quia ineptum est, certum est quia impossibile est*: quod quibusdam in ore frequens, & miris celebratur laudibus, durissimo & audacissimis ludente figuris Patre dignum esse, nec, si commodam forte admittit interpretationem, tot saltem encomia mereri.

9. Ne quis tamen verborum ambiguitate de-

ceptus, supremum nos tribunal Rationi erigere, omniaque Mysteria fidei ex Religione eliminare, clamet, addimus; *Sensum, quantumvis à verisimilitudine remotum, comprehensionemque ingenioli nostri excedentem, semper admittendum, si scopus Scriptoris, vocabulorum usus &c. illum postulent.* Innumera sunt, quæ non modo ex solo Rationis Lumine probari nequeunt, sed & revelata, perfectè ab humano intellectu non comprehenduntur. In talibus sufficit cognoscere τὸ ἐν quamvis τὸ πᾶς nos lateat. Si enim in naturæ sinu tot abdita, tot ἀκατάληπτα occurrunt, fatentibus vel Philosophorum oculatissimis, quis, nisi vecors, τὸ εἶδος πλῆθ' καὶ σοφίας καὶ γνώσεως τῆ θεῶς ingenioli sui decempeda emetiri sustineat? Discrimen autem hujus à præcedenti in hoc situm est. Illa rejiciuntur non quia sublimia atque incomprehensibilia, sed quia evidenter contradictoria, quorum posito uno, necessario tollitur alterum: Hæc creduntur, non quia perfectè comprehenduntur, sed quia à Deo revelata nihil in se continent certò cognitæ Veritati repugnans, quantumvis captum humanum superans. Equè Deo injuriam facit, qui quid à Deo revelatum eo nomine rejicit, quia perfectè à se non comprehenditur, quàm qui planè impossibile atque Deo indignum de Deo credit: uterque enim Dei Revelationem inutilem reddit.

10. Et huc redit vulgaris illa Theologorum distinctio, inter res contra Rationem, quas rejiciunt, & res supra Rationem, quas facile admittunt. Quæ distinctio rectè explicata, quo jure à nonnullis rejicatur, me nondum liquidè cernere fateor. Ingeniosus & doctus Scriptor Libri *Christianity*

not *Mysterious*, à Parlamento Hibernico flammis
 haud ante multos annos adjudicati, magno qui-
 dem molimine hoc agit, ut monstret, N. T. Libros
 non modò nihil contrarium sanæ rationi contine-
 re, quod haud inviti largimur: sed & nihil supra
 Rationem positum: infelici sane, ut nobis videtur,
 successu. Vel enim non intellexit hic Author hanc
 Theologorum distinctionem, & ita non cum Theo-
 logis, sed cum sua luctatur umbra: vel inaniter
 λογισμαί. Concedit ille, in Scriptura contineri res,
 non modo sine Divina Revelatione nullo modo
 cognoscibiles, sed & res, quarum inadæquatam
 duntaxat atque imperfectissimam formare in men-
 te possumus Ideam. Nonne hoc illud ipsum est,
 quod alii *Mysterium*, aut supra rationem positum
 appellant? Nefasne est, verba ista hoc sensu usur-
 pare, si moneam Lectorem de verborum sensu?
 At nunquam, ait, hoc sensu *Mysterii* vocabulum in
 Scriptura occurrit. De hoc viderint alii: nos non
 de Vocis usu, sed de re ipsa agimus, quam certe in
 Scriptura sub aliis licet vocabulis extare, non ne-
 gat auctor. Verum, ait, sic nihil non in ipsa Natura
Mysterium nominandum fuerit, cum nullius rei
 perfectam habeamus Ideam: sic hæc tabula, super
 qua scribo, sic quælibet aquæ guttula &c. supra
 rationem nostram posita dicenda est, quia nume-
 rum particularum, quibus constant, enumerare
 neutiquam valeo. Quid verò hîc absurditatis?
 Quod in hac tabula, in hac gutta occulti & incog-
 niti latet, nonne *Mysterium* appellare licet? Pecco-
 ne in receptum loquendi usum, cum dico; tanta
 est operum Dei magnitudo, ut vel hujus guttulæ
 partes.

partes omnes arcto meo intellectu comprehendere nequeam; ut vel in hac gutta *μυστηρίωδες* quid meae rationi occurrat? At quidquid dicatur, pergit auctor, fatendum, sæpe hoc nomine apud Theologos venire dogmata absurda, contradictoria, ridicula, quæ honesto hoc vocabulo velare solent. Quasi verò abusus nominis tolleretur usum: quasi jam de opinionibus quorundam Theologorum, non de Evangelica doctrina ageretur, quam res rationis captum superantes continere, negat Auctor. Potuisset ergo Scriptor superfedere hoc labore & abstinere à tot scommatibus, sarcasmis & acerbis dictis, quibus innoxiam sententiam, ab ipso agnitam, ejusque præstantes defensores vellicat: cum, quâcunque attentione Librum perpendam, non videam aliud illum probatum dedisse, quàm, vocabulo *Mysterii* in N. T. non per omnia eandem tribui significationem, quæ ei vulgo attribuitur, & Doctrinam Evangelicam nihil absurdi, contradictorii, impossibilis continere: quorum illud jam alii ante ipsum, hoc omnes passim docuere Theologi. Verùm ad alia pergendum.

II. III. *Præferendus est sensus simplex & facilis sensui longè quæsito multisque fidiculis extorto.* Cum enim Scriptura S. omnis generis hominibus, idiotis & rudibus æquè ac doctis acutisque scripta, cumque plerique Scriptores, saltem N. T. homines simplices, plebei, manuum labore victum parare soliti, parumque aut nihil in Logicis gryphis exercitati, aut Rhetoricis disciplinis initiati fuerint, atque in scribendo omni artificiosa Sapientia & fucata Eloquentia valedixerint, liquet, sensum

sum planum facilemque, in dogmatibus præcipue necessariis sectandum esse. Ut adeò innumera hic proscribantur Explicationes veterum & imprimis recentiorum, doctæ profecto atque ingeniosæ, quis neget? at famam potius Eruditionis, acuminisque suis Auctoribus acquirere, quàm lucem divinis oraculis foenerari aptæ natæ, quasque forte ne ipsarum quidem Inventores serio rogati, genuinas esse tenaciter affirmarent, certè non dejerarent.

12. Cùm mentionem facio sensûs facilis ac simplicis, non illum intelligo, cuilibet Lectori, etiam parum attento, ad primam Libri apertionem, obvium: multo minus illum, qui talis videtur homini, frequenti usu certum aliquem sensum, undecunque arreptum, vocibus subjicienti: in quo plerique etiam non cogitantes sæpe decipimur. A teneris audimus verba & phrasas Scripturæ S. illis paulatim sensum aliquem, sæpe contra rationem, plerumque sine ratione affingimus, partim à nobis nostro arbitrio inventum, partim à Magistris Parentibus, Familiaribus præformatum: Vocem ita ideæ cuidam alligatam identidem usurpamus, atque ita altè in animum demittimus, ut prolata aut lecta, mox eandem in nobis excitet ideam: hunc deinde sensum facillimum, planissimumque vocamus, qui examussum illi ideæ convenit, etsi fortè à sensu Scriptoris S. alienissimum. Quod de Educatione asserimus, idem de Institutione &c: verum esse, unicuique attendenti liquet. Hinc tam diversæ diverforum hominum Scripturæ S. Explicationes: hinc in Pontificia Religione institutus edu-

catusque sensum Pontificium, Sociniano dogmate imbutus Socinianum, Reformatæ Religioni à teneris assuetus Reformatum, quilibet illum sensum videt, quem Ecclesia, in qua natus institutusque, ei præformavit: hic ei sensus longè facillimus, quia ei vel non cogitanti statim ad primum verborum sonum conspectumque subnascitur. Absit verò, hunc ut genuinum Scripturæ S. sensum appellem: imo hic potius mos in S. Scripturæ Lectione nos plane cæcos reddit, & ad genuinum inveniendum ineptos.

13. Verùm illum voco Sensum simplicem & facilem, quem verba cuilibet diligenter attendenti præjudiciis vacuo, etiam plebejo offerunt, inque animo excitant. Quod, ut clarius intelligatur, repetendum, quod superius innui. Redige te, quantum fieri potest, in eum ipsum statum cum omnibus suis circumstantiis, in quo fuerunt loquentes, aut ad quos sermo factus est: tui ipsius, tuorumque &c. quasi obliviscere: finge in illo loco, illo tempore &c. hæc verba te audire, quibus primum audita sunt: tùm vide quis in animo tuo oriatur sensus. Cum Scriptura S. non loquatur instar Apollinis λόγος, sed *Testimonium Dei sit fidele, Sapientiam afferens simplici, præceptumque Jehovah clarum, illuminans oculos*, dicendum, aut ita subortum sensum genuinum oraculorum Dei Sensum esse, aut talem à nobis inveniri non posse. Excipio illa loca, in quibus ex professio nonnulli obscurius loquuntur, sensumque ob peculiare rationes paulò involutius tectiusque proponunt: quod de quibusdam Christi v. g. sermonibus constat.

14. Ope-

* 41 *

14. Opera pretium fuerit, observationem hanc, Exemplo illustrare. D. Jesus, paulum ante illustrem in caelos ascensionem, discipulos de suprema à Patre accepta in Caelo Terraque potestate certiores factos, ita alloquitur: *πορευθέντες εὐ, μα-
θητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη, βαπτίζοντες αὐτοὺς εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πα-
τρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος.* Quæritur, quid his verbis sibi velit Dominus? Erunt forsitan, qui nostræ Ecclesiæ ritibus moribusque assueti, hic sibi præceptum baptismum fingent, per omnia nostro similem: existimantes, mandare Christum, ut recens nati infantes in Templum deportentur, ibique tribus adhibitis testibus aut susceptoribus, prælectâque baptismi formulâ, aquâ leviter in fronte aspergantur, indito simul nomine infanti. His forte alii plures addent circumstantias, in sua adhiberi solitas Ecclesia: Pontificius v. g. exorcismus, exsufflationem, unctionem, aquæ benedictionem, aliosque ritus lapsu temporis, hominum primævam simplicitatem fastidientium studio inventos. Huncne simplicem verumque Christi verborum sensum vocabimus, quia talis videtur homini istis ritibus ab infantia assueto?

Mat. 28. 19.

15. Contra, si Regulam nostram observe-
mus, quo sensu hæc Verba à Discipulis intelligi potuerint, considerantes, haud faciliè à genuino sensu errabimus, ac à non paucis circa Baptismum erroribus, nobis cavebimus. Duos tantum nunc attingam. Existimat *F. Socinus*, D. Jesum in hoc loco externum aquæ Baptismum non instituisse, sed vocem *βαπτίζειν* hîc idem notare, ac initiare in Doctrina, & Mysteria salutis docere; ut adeò non

Disput. de
Baptismo
Aquæ.

fluminis, ut loquuntur, sed luminis, seu doctrinae baptismus hic à Christo institutus censendus sit. At quì quæso talis verbi sensus in mente apostolorum oriri potuit? cùm non modo nihil ad figuratum hunc sensum eliciendum in sermone Christi extiterit, sed & Apostoli utpote Judæi vocem βαπτισμός aut טבילה sensu proprio usurpatam frequentissime audierint, huncque ritum externum, tùm à majoribus suis in initiatione Profelytorum, tùm à Johanne Baptista observatum sæpe viderint. Sane id ita proprie ab illis intellectum fuisse, Praxis ipsorum luculenter declarat, externâ aquâ abluentium novam Religionem professos in Actis apost. passim, quidquid in contrarium dicat Socinus, nihil non ad suum detorquens sensum.

16. Alter error Anabaptistarum ita dictorum est. Hi Baptismum Infantum tanquam ineptum, superstitiosum, imò impium & intolerabilem rejiciunt, huic præcipuè loco innitentes, in quo Institutio, quæ in Infantes non cadit, Baptismo præmittitur. Hanc opinionem superiori illâ speciosiore non diffitemur, facilesque largimur, directè hunc Baptismum & μαθητεύουσιν adultos institutionis præviæ capaces respicere, à vitiosa transeuntes Religione ad Christianam. Id tamen cum exclusione Infantum dictum esse, ab omni verisimilitudine nobis videtur remotum, cogitantibus, quomodo hæc ab Apostolis intelligi debuerint. Finge Christum illos vernaculâ Syriacâ aut Syrohierosolymitanâ ita allocutum: זלו הכיל תלמדו כלהון aut forte loco נידון תלמדו ואעמרו אנן quomodo hæc intellexere? Intelligunt se mitti ad præ-

prædicandam Religionem à Christo traditam: intelligunt, ipsum omnes sine discrimine populos ad fidem huic doctrinæ habendam, adduci velle, idque ipsis præcipi voce תלמר aut ניר *discipulum facere*: judicant ergò quemlibet suo modo ad fidem perducendum: adultum præviâ institutione & Baptismo, infantem consecratione ipso Baptismo peragendâ, quâ corpori fidelium inseratur.

17. Verum inquis, unde Apostolis in mentem venire potuit, ad infantes hoc etiam posse extendi? Imò, inquam ego, quomodo hoc potuit ipsis in mentem non venire? Vident illi, Christum nunc novum Fœdus erigere cum omnibus hominibus: vident, Christum instituere ritum recipiendi in fœdus: noverant porro fœdus olim à Deo cum Judæis initum infantes pariter ac adultos respexisse, nec modò *primores, Seniores & moderatores populi Israelitici sed & parvulos coram Jehova ad ineundum fœdus stetisse, Deut. 29. 10.* noverant signum fœderis, Circumcisionem, infantibus ex mandato Domini imprimi: noverant tandem, hunc ipsum Baptismatis ritum, ceu signum receptionis in fœdus Judaicæ Religionis, à majoribus circumcisioni adjunctum, non tantum majoribus natu Profelytis sed & parvulis adhibitum fuisse.

18. Postremum hoc veritati consentaneum esse, ex antiquitate Judaica cuilibet in Hebræorum & Philologorum Libris non plane hospiti notum est. Docent enim magno consensu Judæi, Gentili, aut, ut illi loquuntur, נר צדק *Profelyto Justitie*, Religionem Judaicam amplecti volenti tria adhibita fuisse initiamenta מילה מבירה וקרנן *Circumcisionem*

vid. inter
alios Jac.
Alting. de
Profelytis

nem, baptismum & oblationem : baptisimi tantam esse necessitatem, ut sine eo Profelytismus non magis constet, quam sine Circumcisione: tantam efficaciam ut baptisatus ejusmodi יוצא מכלל גוים *universitati gentilium exemptus*, censeatur בן ברית *federatus*, cui datum sit, להכנס ולהסתופף תחת כנפי השכינה *subire & tutam habere stationem sub alis Scheebinae*.

19. Infantes autem cum Parentibus profelytis baptismo etiam initiatos fuisse, locus Talmudicus in *Ketubb. Cap. I. f. II.* clarè docet: נר קטן מטבילין אותו על דעת בך מאי קמל דוכות הוא לו Profelytum minorenem baptisant juxta sententiam Domus Judicii. Quid inde intelligimus? Hoc, quod beneficium ei hac ratione praestatur, & benefaciunt homini etiam infcio. Intelligi autem & parvulos nondum usu rationis pollentes, tum ex ipsis verbis, tum & ex isto patet, quod simul ac usum rationis acquirunt, posse dicuntur irritum reddere profelytismum suum הנדלו יכולין למחות

20. Hæc cum ita se habeant, palam est, etiam si Christus disertam parvulorum mentionem non faciat, Apostolos non potuisse non existimare, simul cum Parentibus Christo nomen dantibus infantes posse baptizari: quâ in sententia tamdiu perseverare debuerunt, quamdiu Christus non singulari mandato receptam Judæorum consuetudinem disertè sustulit. Si cui hoc Exemplum minus arrideat, ei alia Regulæ huic illustrandæ suppeditare, facillimum fuerit, natis & quotidie nascentibus tot παραγεννησάντων Scripturæ, hujus neglectui originem debentibus.

21. IV. Diligenter locutiones propriæ ab impropriis

priis & figuratis sunt distinguenda. Abundant Hebræi, ut alii Orientales, expressionibus impropriis & metaphoricis, sive hoc climati, sive educationi sive alii cuicunque causæ adscribatur, quæ nisi in proprias commutentur, aberret interpres à mente scriptoris, necesse est. Nec magnam semper hoc in negotio deprehendet difficultatem candidus Lector: plerumque enim antecedentia consequentiaque, res ipsa vocibus denotata, modus expressionis aliaque his similia, diligenti S. Literarum scrutatori indicant, num & quomodo à sensu vocabulorum proprio sit recedendum. Ad locutiones figuratas refero & Proverbia, Parabolasque, Scriptoris nostris crebro usurpata. Proverbia cum sint modi loquendi populares, nec nimis rigidè urgenda, nec in omni verborum universalitate sumenda sunt: vera sunt ἐπὶ τὸ πολὺ, quamvis in contrarium extent exempla & exceptiones. In Parabolis explicandis non singula Verba, neque etiam singulæ partes, sæpe ornatûs gratiâ duntaxat adjectæ, anxie sunt excutiendæ, sed loquentis præcipuè attendendus scopus.

22. Quod de locutionibus impropriis à propriis secernendis diximus, lubet hoc exemplo illustrare. Quæritur, quo sensu Dominus discipulis dixerit: *etiamsi monti huic dixeritis, tolle te & projice in mare, fiet.* Rem istis verbis proprie sumtis significatam absolute impossibilem esse, nemo ad immensam Dei potentiam aliaque ejus longè mirificentiora opera attendens affirmabit. Hoc verò non obstante, Christum locutione proverbiali ex communi gentis suæ consuetudine petita, usum esse,

Mat. 17. 20.
& 21. 21.

esse, mihi quidem liquidum videtur. Notat Doct. *Lightfootus* hyperbolicam locutionem à vulgari Scholarum Judaicarum dialecto desumptam, atque ad aliqualem superbiæ Rabbinicæ retusionem directam esse. Solebant enim Judæi Doctores suos ingenii subtilitatisque laude claros, difficultatesque vel maximas facili negotio è medio tollentes, hoc elogio cohonestare: **וא עוקר הרים** *ille est eradicator montium*. Sic in *Erubb. fol. 29. 1.* de Ben Assai dicitur in glossa marginali: **נימו עוקר הים כמוהו לאהיה** *non fuit ejus tempore similis eradicator (transplantator) montium*: hoc est, explicante Cel. *Buxtorfio* nostro: ejus tempore nullus erat, qui tanta ac ipse præstaret. conf. loc. 1. *Cor. 13. 2.* Sensus ergò Domini ex proverbiali expressione evolutus hic videtur esse: tantam fidei vim esse, ut nihil tam arduum, tam difficile tam excelsum futurum sit, quamvis vel montem duritie & excellitate æquet, quin illud fides superare possit.

23. Hunc equidem sensum ex figura sua evolutum planum facilemque esse, quis inficias ibit? In quas verò tricas ac perplexitates se coniecere, qui neglecto tropo, proprium in his verbis quælivere sensum? Conqueruntur Hieronymus & Chrysostomus gentiles Apostolorum famam hoc argumento attrectasse, *quod fidem non habuerint, quia montes transferre non potuerint*. Eodem argumento Chalipha nescio quis Mohammedanus Christianos perhibetur aggressus, mortem interminatus, nisi aut id ad literam præstarent, aut Mohammedisimum fusciperent. Hieronymus & Chrysostomus, ut hanc calumniam retundant, in varia se vertunt, verita-

ritatem literalis sensus supponentes: tandem Hieronymus: *multa, respondet, facta esse signa à Domino juxta Johannis Evang. testimonium, quæ si scripta essent, mundus capere non posset: non quod mundus volumina capere non potuerit, quæ potest quamvis multiplicia sint, unum armariolum vel unum capere scrinium; sed quod magnitudinem signorum præ miraculis & incredulitate ferre non possit: igitur & hæc credimus fecisse Apostolos, sed ideo scripta non esse, ne infidelibus contradicendi major daretur occasio.* Viden', ut non observata hæc sensus proprii ab improprio distinctio lepidas cudat Scripturæ Expositiones?

24. De Interpretationibus allegoricis & typicis (nec enim lubet jam hæc subtili diligentia distinguere) verbum addam. Si ullibi hic sane sobriè & modeste versari debet Theologus, humanæque curiositatis pruritum, quæ sibi relicta nihil non audet, reprimere. Semper Viris cordatis displicuit ἀλλυγορομανία: nunquam tamen non in Ecclesia reperti fuere, qui quidvis sibi hoc in negotio licere existimarent. Quis ignorat Origenis Adamantii vetusti S. Literarum Interpretis intolerabilem audaciam, eo usque progressam, ut conquerente Hieronymo, *dum Paradisum terrestrem allegorizat, Historiæ auferret veritatem?* Quis aliorum Patrum contortam & ridiculam allegorisandi rationem? quis Pontificiorum lepidum Scripturam ἀλλυγορικῶς interpretandi modum? qui adeo Salmeroni Jesuitæ arrisit, *ut vel hoc signo intelligi judicet, Protestantibus illum spiritum abesse, quo medullas Scripturarum penetrare possimus: quia nempe ipsorum argumenta ab allegoriis desumpta parvis facimus: i. e. ut clarius id exprimam, quia*

Epist. ad Pammach.

Comment. in 2. Cor. 3.

G

non

non ex quolibet quidlibet pro arbitrio nostro fingimus & concludimus.

25. Hodie etiam allegorisationum nec finis nec modus ullus. Videas nonnunquam Viros omni doctrinae genere excultos, simplicem planamque Geneseos Historiam in triplicem Cabbalam, Literalem, Philosophicam & Moralem commutantes, hancque egregiam fictionem omni ingenii molimine, & eruditionis apparatu defendentes. Videas alios non modo Veteris sed & Novi Testamenti Historiam, quid dico Historiam? ipsam partem dogmaticam, ipsam Orationem Dominicam, quam nos hebetioris ingenii & obefioris naris homines, pro Precationis formula à Servatore discipulis id postulantis traditâ, habemus, in meros typos, symbola, ænigmata tam lepide convertentes, ut doleas tam argutis atque eruditis lusibus, nihil nisi Veritatem deesse. At quid hæc ratione proficimus? Num hi ingenii nostri lusus (quo enim alio appellem nomine, nescio) quantumvis rari concinni atque docti, at lusus tamen, fidem nostram in Deum Christumque firmant? Num ad majores in sanctitate Vitæ progressus faciendos exstimulant? Sed verò imperscrutabilem & πολυποίκιλον Dei nostri Sapientiam undiquaq; elucescentem manifestissime nobis pandunt! Optarem equidem & toto optarem animo: at cum pensiculatorius rem considero, non modo hunc effectum produci non animadverto, sed profanis Religionis sanctissimæ Irrisoribus anfas oppido idoneam præberi video, Scripturam nostram subsannandi.

26. Utinam gravis aliquis Theologus id sibi negotiū

negotii sumeret, non modo maleferiatam hanc fingendi licentiam solidis rationibus refranandi (id enim vix operæ pretium videtur) sed præcipue justos huic studio assignandi limites. Fateor enim, meo in illis quos legi, Libris, animo nondum satisfactum, terminosque vulgò assignari solitos nimis adhuc amplios mihi videri. Liceat itaque mihi dum melius edoctus fuero, huic adhærere Regulæ *Is demum locus præter simplicem sensum, typicum, allegoricumve habet, quem talem habere, certis & indubiis rationibus ex Scriptura ipsa demonstrari potest: nec ulterius ille sensus extendendus, quàm quousque in Scriptura extenditur.*

27. Tunc verò certis & indubiis rationibus ille sensus typicus demonstratur, si ipsa Scriptura alicubi illum typum clarè explicet, ut in Epistola ad Hebræos plurimæ ceremoniæ V. T. typicè explicantur: tum etiam, si verba juxta ordinarium sensum longè plus significant, quàm quod in re, literaliter significatâ, reperitur. Posterius hoc innuit, latere sub verbis augustiorem aliquem sensum, quis autem ille sit, non explicat: prius facit utrumque: unde multo major cautio in posteriori, quàm priori requiritur. Tunc autem ulterius extenditur typus, quàm in Scriptura, si plures analogias similitudinesque effingimus, quàm ex verbis Scripturæ, ubi typus explicatur, aut ex scopo loci necessario deduci possunt. Si qui forte sint, qui nimis angustam restrictamque hanc Regulam conquerantur, sciant illi, non ipsis, sed mihi hanc Legem fixam esse, malleque me quasdam typicarum Explicationum ignorare (quæ quantumvis veræ,

nunquam tamen novam veritatem alibi non traditam continent:) quàm nimium Phantasiæ indulgendo ex Scriptura S. nasum cereum facere.

28. Calculum meum non auferunt, qui tolerabilius eum existimant peccare, qui Christum se videre arbitratur ubique, etiam ubi se non ostendit, quàm qui Christum non videt, ubi non clarè perspicitur. Alterum indicium esse ajunt animi Christum diligentis, plurimumque & minimâ vel etiam nullâ datâ occasione de eo cogitantis: Alterum, segnem arguere animum, tardumque ad credendum. At verò, qui Christum amplectitur, ubi non est, non Christum sed phantasma amplectitur nubemque captat: longâque fieri potest consuetudine, ut toties confundens Phantasma cum re tandem ne ipsam rem quidem agnoscere possit, ubi est. Nec semper amorì tribuendum, quod alii causæ, curiositati puta, novitatis & famæ studio, aliorum contemptui &c. nonnumquam adscribendum esse, nemo prudens negaverit. Ex amore saltem non provenire ipsi Viri docti fatebuntur, quod in tot Scripturæ locis Antichristi symbola, imagines vestigiaque se deprehendere sibi videntur, ubi alii prorsus cœcutiunt. Nimis enim deformem, fœdum & abominabilem Antichristum nobis depingunt, quàm ut illud animi Antichristum amantis, indicium esse queat.

29. Ex Regula nostra hæc manifesta sunt. a Peccare, qui omnes similitudines atque analogias inter typum & antitypum, quæ ullo ingenii conatu excogitari possunt, ingenti studio venantur, quamvis planè præter dicentis scopum. Miror profecto
Viros

Viros interdum gravissimos tam impense sibi place-
re, cum ingentem analogiarum copiam, quas nume-
rare non ponderare solent, ex fecundo ingenii penu
depromunt, sæculoque de novâ veritatis luce ac-
censâ, eo nomine serio gratulari. Concedamus sa-
ne, Mannam præfigurasse Christum, verum panem
ẽ coelo datum *Job. 6. 32*. At quis Viris aliàs minimè in-
eptis, libertatem dedit, ultra scopum à Christo in illo
loco intentum, similitudinem extendendi? Quæ co-
gens ratio ex Scriptura petita, 26. analogias (tot
enim quidam recensent) inter Mannam & Chri-
stum magno labore undiquaque conquisitas, requi-
rit, quæ omnes præter duas tresve ad scopum Chri-
sti nihil faciunt? nullane harum claudicat? nullane
harum non à Spiritu S. intenta est, quamvis ne-
què quidem de illis Scriptura? Num tot præcisè,
nec plures admittendæ, quamvis plures non minus
egregias nullo negotio exsculpat sagax ingenium?

30. β. Peccare gravius, qui omnes etiam le-
vissimas allusiones N. T. ad V. T. pro totidem Ex-
plicationibus Typorum habent. Constat enim,
Scriptores N. T. utpote Judæos, Lectioni V. T.
assuetos, haud raro phrasibus ex V. T. desumptis
mentem suam exprimere, integrasque nonnunquam
phrases ad suum accommodare scopum, quas in to-
tidem typos erigere, hominis esset imperitè S. Li-
teras tractantis. Nonne nugari censeretur, qui ada-
gium dictumque aut phrasin antiqui auctoris ad
rem nostri temporis exprimendam adhibitum, aut
illas Veterum sententias, ex quibus *Lipsius* suam
contextuit *Politicam*, pro totidem typis rerum ho-
diernarum venditaret?

31. γ. Gravissime peccare, qui in typis allegorisque effingendis præter Analogiam aliqualem nullo alio fundamento nituntur. Ad hoc enim non sufficit aliqua, imò ne multiplex quidem eorum, quæ olim gesta sunt, cum iis, quæ postea fiunt, similitudo. Inter res omnes, etiam diversissimas aliqua inveniri potest ἀλλήλεια ab ingenio præsertim fecundo & φανταστικῷ. Frænum modò laxa luxurianti Imaginationi: nihil tam diversum, tam oppositum alteri unquam fuerit, quod illa non conciliare, atque ad similitudinem & consequenter typum efformare poterit. Solet in notis ad V. T. *Hugo Grotius* illustres V. T. Viros cum Romanorum Græcorumque Heroibus comparare, ut *Joabum* cum *Achille*, qui jura sibi nata negat, nihil non arrogat armis; *Jonathanem* cum *Germanico* &c. Quis verò ob solam plurimarum partium convenientiam, alterius alterum typum statuet?


32. Ab istis nisi nobis caveamus, nihil tam ridiculum, tam absonum fuerit, quod tandem non plausibile ac verosimile nobis videbitur. Quamvis sibilis & sannis ab aliis propterea excipiamur, nobis ipsis applaudemus & seriò gratulabimur ob rem tam præclare gestam. Edidit Anno 1607. Anglus, nescio quis, *Guilhelmus Alabastor* nomine, Librum hoc titulo: *Apparatus in Revelationem Christi*: in quo gloriatur, novam se & admirabilem rationem asserre investigandi Prophetiarum *Mysteria* ex *Scriptura* seipsam interpretante. Ibi quidlibet ex quolibet educit, ipsis Cabbalistis hâc in arte superior, quæ referre pudeat. Placet tamen ei commentum & læto successu eiatus, alium vel ipso Titulo monstruosum,
Spira-

Spiraculum Tubarum inscriptum aliquanto tempore post edidit foetum, in quo mox in Præfatione eadem intemperiae hominem agitant, artis egregiae specimen exhibentem in explicatione *Psalmi* 46. Inscriptionem *Psalmi* *לנמצח רכני קרח על ערמות* ita exponit: *למנצח Vincenti*: i. e. ei qui poterit perspicaciâ ingenii sui superare difficultatem intelligendi *Psalmum* hunc: habet enim sensum occultum. *קרח Kore*: nomen proprium, significans *Calvum*, aut, protensâ paululum voce, *Calvinum*; ut adeò *Filii Kore* sint *Calvinistæ*, hoc nomine à cæteris Protestantibus distincti. *על ערמות de Virginibus*: id est, de Expositionibus Scripturæ arcanis: & quæ sequuntur alia, adeò profectò stoliditatis plena, ut furere hominem, non ineptire tantum credas.

33. Ad talia quis non nauseet? Et tamen ipsi Pontifices Romani ejusmodi explicationibus tam mirè capiuntur, ut vulgares & literales præ his omninò ipsis sordeant. En ex pluribus Exemplum unicum. *Genes. i. v. 14. Creavit Deus duo magna Luminaria, Solem & Lunam &c.* Forsitan arbitraris, Lector, de Astris in Cœlo à DEO collocatis, hæc sonare: at falleris: longè majus, longè excellentius quid hæc Verba designant. Audi *Innocentium tertium*, in *Decret. ad Imperator. Constantinop.* scribentem: *Fecit Deus duo magna Luminaria: i. e. duas Dignitates instituit, quæ sunt, Pontificalis Auctoritas & Regalis Majestas. sed illa, quæ præest diebus i. e. Spiritualibus, major est alterâ, quæ noctibus i. e. carnalibus: ut quanta est inter Solem & Lunam, tanta inter Pontifices & Reges differentia cognoscatur.* Ne verò, quanta præcisè illius supra hanc designetur Dignitatis eminentia, igno-

ignores, faciunt *Glossatores*, qui μάλα μαθηματικῶς & ἀκριβοῶς hic versantur, ut scias rem ipsis cordi esse. Post aliqualem enim Disputationem *Canonicè* concludunt, cum Terra sit septies major Lunâ, Sol autem octies major Terrâ, Pontificalem Dignitatem quadragesies septies maiorem esse Regali Dignitate. Cum verò discrimen hoc nimis exile aliis videretur, censent nonnulli, quinquagesies sexies, alii etiam accuratius subductis calculis, septies millies, septingentesies & quadragesies quater & insuper ejus medietate Regiam à Pontificali Dignitate superari. De Calculi exactitudine nullus restat Scrupulus, cum ne Medietates quidem in supputatione omittantur. Quis non leporem in Summo Pontifice, ἀκρίβειαν & acumen in Glossatoribus, dexteritatem arcanos Scripturæ sensus eruendi in utrisque admiretur? Ethic est ille toties inculcatus, tot laudibus celebratus sensus allegoricus.

34. Cæterum, ut tandem hanc partem finiam, quantocunque animo, quibuscunque instructus subsidiis Scripturæ Expositionem aggrediatur Theologus, ne speret se ullâ diligentia consecuturum, ut nihil in Scriptura ipsum fugiat. Ut enim taceam plurimarum in hoc Libro traditarum rerum sublimitatem, non ea nobis est, aut acquiri potest Veterum Linguarum, Consuetudinum, Dogmatum, Historiarum, Controversiarum &c. cognitio, quæ omnibus Scripturarum nodis solvendis, dubiis tollendis, obscuris elucidandis sufficiat. Modestiae ergò litandum & candori: modestiae est, non nimium in Expositione hujus Libri sibi fidere, sibi tribuere, sibi placere: candoris, quod ignoras, haud diffi-



diffimulare. Turpiter & seipsum decipit & alios
decipere laborat, qui merâ confidentiâ, merâ asse-
verandi licentiâ ex obscuro clarum, ex incerto cer-
tum fieri posse arbitratur. Non ita desipit verita-
tis amans animus, ut solo nutu alterius ad fidem ei
habendam compellatur. Rationibus, non imperio
hic opus est, quæ quo sunt clariores, eò validius
mentem, vel sine ullius humanæ Auctoritatis subli-
dio convincunt. Quod ergò fideliter ex Scriptura
didicisse Te arbitraris, modeste profer, rationibus
confirma, aliorumque examini permitte: quod
nondum ad liquidum perduxisti, noli aliis tanquam
indubium inculcare: ne præ te feras scire te, quod
nescis, scire totum, quod ex parte tantum cogno-
scis. Finire liceat, elegantissimis Viri Maximi ver-
ficulis, quos identidem ad animum revocare Theo-
logum ne pudeat.

*Ne curiosus quere causas omnium
Quæcunque Libris vis Prophetarum indidit
Afflata Cælo, plena veraci DEO:
Ne operta Sacri supparo silentii
Irrumpere aude, sed pudenter præteri.
Nescire velle quæ Magister Optimus
Docere non vult, erudita inscitia est.*

Joseph.
Scaliger.

Nec omnia nec præcipua ad hanc materiam spe-
ctantia attigimus: neutiquam tamen de *Scopo Inter-*
pretis S. omissemus agere; nisi eâ elegantia & soli-
ditate id Argumentum haud multis abhinc annis
apud

apud nos pertractatum censerī posset, ut omnibus
ocium post se fecerit Cel. Vir. Lubentes s̄ane huius
scripti Patrocinium in nos suscipere mus, nisi ejus
claritatis & acuminis esset, quæ omnem & impu-
gnationem & defensionem respueret.

F I N I S.

